

PRÆFATIO.

verba profundere & perdere videbor. Verum enim perpetuo manebit id, quod de eo cecinit *Dillberus* :

*Laus sua pro meritis est quemque secuta, sed horum
Cunctorum laudes solus & unus habet.
Post aliquot tandem redit orbi secula Phœnix,
Talis at æternum non rediturus erit.*

Is ut in quacunq[ue] eruditionis Theologicæ parte fastigium quasi obtinuit, ita in exege[si] quoque eo devenisse omnibus visus est, quo altius eminentiusque ascendere non posset. Ut vero negandum non est, posteriores ipsius in hac sacræ eruditionis parte labores quoad diligentiam, judicium, perfectionem, anteriores non exiguo intervallo post se relinquere, nonnullos etiam affectos tantum esse & forte in privatos usus tumultuarie chartæ illitos, quos si vixisset, ut sub ipsius nomine publici juris fierent, nunquam, fuisset permissurus, ita quibus ex eorum numero *Analecta Filii, Joannis Ernesti Gerhardi*, accesserunt, ceu & factum est in *Annotationibus posthumis in Acta Apostolorum*, ea non exiguum inde acceperunt pretium. Erat enim hic Theologus & in linguis orientalibus & in controversiis ejus temporis Theologicis probe versatus, instructus præterea Bibliotheca in omni generis libros diffusissima (e cujus regione ante hos quinquaginta fere annos musæo ipsius indulgentia utebar) unde non poterant non profluere observationes rariores utilesque, accedente imprimis indefessa ferreaque viri diligentia, quæ ex paternis operibus quibuscunq[ue] in quibus omnibus singulisque quasi ad miraculum usque domi erat, aliisque Theologorum scriptis, a se antea tritis, quicquid ad illustrandum Actorum librum facere quomodo-cunq[ue] poterat, comportavit. Quæ quamquam deducta hac ad caput usque duodecimum opera morte Auctoris præmatur fuerit abrupta, reliqua tamen capita concisioribus additamentis nequaquam destituuntur. Ita fluctuant res humanæ & nonnunquam etiam optimis propositis sinisterius intervenit fatum.

Quod itaque hætenus singulorum in Acta Apostolica Exeges[is] præstare non poterant, id nunc Triumviralis ille selectus, sive quoad verborum sensum, ex eorundem ἐμφάσει & contextus nexu enucleandum, sive
quoad